



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Innocentii Papae III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

CONCILIVM DIVIONENSE
IN BVRGVNDIA A PETRO DVACENSE SEDIS
apostolicæ legato contra Philippum regem Francia
ob repudiatam vxorem celebratum anno Domini
MCXC VII. tempore Cælestini papæ III.

ANNO
CHRISTI
1197.

NOTA.

^a *Concilium.*] Ioannes Tilius in chronico de regibus Francorum, auctoritate Pauli Emilii, Vincentii in speculo, & aliorum anno 1197. *Legatus papa*, inquit, *circa diui Michaelis festum in Diuionensi Concilio ob secundum regis matrimonium toti Francia sacris clam interdixit. Quæ sententia promulgata rex vehementer iratus, qui Concilio interfuerant persecutus, eos grauiter vltus est.* Hæc ille.

VITA ET EPISTOLÆ
INNOCENTII PAPÆ III.

INNOCENTIVS eius nominis tertius, Lotharius antea appellatus, iuuenis triginta annorū vel paulo amplius, sed egregie prudens & eruditus, mirabili omnium consensu ex cardinale diacono altero die post obitum Cælestini papæ quinti, nimirum Idibus Iunii anno 1198. creatus est pontifex tempore Ottonis quarti regis Germaniæ, cui contra Philippum Barbarossæ filium reclamantem magis fauens, coronam imperii cum benedictione solita contulit, & ex causâ iustissimâ vicissim abstulit. Nam cum donationem illam, qua Mathildis filia Rogerii principis Siciliae marchiam Apuliae Romanæ ecclesiæ donauerat, ille post impetratam imperii coronam, tamquam inualide contra consensum imperii principum factam sibi vindicasset, ac præterea etiam contra iusurandum quod paulo ante emiserat, vt beatus Antoninus tertia parte chronici titulo decimonono annotauit, Apuliam & Calabriam vi & armis sibi subiiciens mandatis apostolicis obedire contemneret, papa sententiam excommunicationis primum, ac postea priuationis & depositionis in eum ferens, Sigfrido archiepiscopo Moguntino, vt est apud Trithemium

ANNO
CHRISTI
1198.

in chronico Hirsaugiensi, præcepit vt per totam Alemanniam imperatorem excommunicatum & ab imperio depositum denuntiaret; quod & fecit. Interea cum Otto archiepiscopum persequens neque de absolutione petenda, neque de transactione ineunda quidquam curaret, Innocentius papa Fridericum II. Henrici sexti filium ex Constantia, de consilio regis Franciæ, ex voluntate etiam certorum principum Germaniæ, e Sicilia euocatum in Alemanniam misit, mandans principibus imperii vt ipsum in imperatorem susciperent. Otto cum exercitu suo Friderico quidem occurrit; sed derelictus a suis loco cedere, & in Saxoniam secedere compulsus est. Fridericus vero ab omnibus tamquam rex in Conuentu principum Aquisgrani habito susceptus est. Postea Otto contra Philippum Francorum regem, qui Friderico studebat, in bellum vna cum rege Angliæ auunculo suo, cumque Brabantia duce & comite Flandriæ profectus apud Tornacum superatus, ac demum anno Domini 1216. ab omnibus desertus, & præ mentis dolore infirmatus, meritaque oppugnata Romanæ sedis pœna Deo vindice mulctatus, post multas angustias mortuus est. Initio pontificatus sui, ait Rogerus, qui sub ipso historiam Angliæ scripsit, statum curiæ in melius mutare volens, maiorem partem ianitorum & ostiariorum curiæ abiicit, vt conque-

rentes tam clerici quam laici liberiores ad eum haberent accessus. Et paulo infra: Post consecrationem illius præfectus & senatores & tribuni Urbis & ceteri Romani exegerunt ab eo redditus consuetudines, quas prædecessores sui Romani pontifices iis impendere solebant, quibus ipse respondit se hoc nunquam facturum: cum, si fecisset, contra Deum & in præiudicium Romanæ ecclesiæ faceret. Quod Romani audientes irruerunt in bona illius, & diripuerunt ea: ipse vero excommunicauit eos. Hierosolymitana vrbis (quam sub Urbano III. Saraceni occupauerunt) recuperationem plurimum exoptans, literis legatisque missis omnes ad hoc bellum est cohortatus, secutusque prædecessorum suorum vestigia, ad deprauatos mores populi corrigendos, ad hæreticos damnandos, & principes populumque ad terram sanctam recuperandam, Lateranensem Synodum œcumenicam XII. indi-

Fridericus II. subrogatur Ottoni IV. deposito.

Ottonis obitus. Quid Innocentius. Romæ egerit.

Lateranense Conciliū indixit.

86 INNOCENTII PAPÆ III. VITA.

Epistolæ
Innocentii
quales.

xit, eique inter 412. episcopos præfedit. Ad omnes pene Europæ reges & episcopos literas salubrium consiliorum plenissimas scripsit, quas legi, & (ut ait Trithemius in chronico Hirsaugiensi) in iudiciis obseruari mandauit. Eodem auctore Liuania, ut ait Blondus, fidem Christi amplexa fuit. Huius pontificis mandato per Simonem comitem Montifortensem, Germanorum auxilio fretum, Albigenes hæretici in Gallia ante annos aliquot exorti partim fugati, partim vero per legatum sedis apostolicæ ad pœnitentiam & vnionem ecclesiæ recepti fuerunt. Hoc tempore sanctus Dominicus Hispanus ordinem prædicatorum, sanctus Franciscus ordinem minorum in Italia instituerunt, multosque hæreticorum & infidelium ad fidem Christi conuerterunt.

Almaricus
cum suis se-
ctatoribus
combustus.

Almaricus de viginti erroribus conuictus cum sectariis pluribus Parisiis post obitum exhumatus combustus est. *Gaguinus libro 6.* Hæreticorum eorum, qui Trithemio auctore in Alsatia docebant esum carnum quouis tempore, etiam in quadragesima, licitum esse; fornicationem, ut quæ naturali inclinationi conueniens foret, non esse prohibitam, octoginta apud Argentinam vno die combusti fuerunt. Pontifex dum post hæc tandem pacis faciendæ causa inter Pisanos & Genuenses Perusium se contulisset, in opido illo mortuus est; ut ait Urspergensis decimosexto Kalendas Augusti, anno Domini 1216. peractis in pontificatu suo annis octodecim, mensibus quinque, & aliquot diebus.

Epistolarum Innocentii papæ III. libri quatuor cum notis Francisci Bosqueti extant Tolosæ editi anno 1635.

EPISTOLA
INNOCENTII PAPÆ III.
 AD ARCHIEPISCOPVM ET CAPITVLVM
 COLONIENSE.

Antiquitus concessa priuilegia confirmat.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis electo
 & capitulo Coloniensi salutem & apostolicam
 benedictionem.*

SOLET annuere sedes apostolica piis votis & honestis
 petentium precibus fauorem beneuolum impartiri.
 Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus incli-
 nati libertates & immunitates a Romanis pontificibus,
 prædecessoribus nostris, ecclesiæ vestræ concessas, anti-
 quas etiam & rationabiles consuetudines hæctenus in ec-
 clesia ipsa seruatas ratas habemus, & eas auctoritate apo-
 stolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio com-
 munimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam no-
 stræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario con-
 traire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indigna-
 tionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apo-
 stolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalendas Ia-
 nuarii, pontificatus nostri anno octauo.

ANNO
 CHRISTI
 1199.

**CONCILIVM IN DALMATIÆ
 ET DIOCLIÆ REGNIS PER LEGATOS
 sedis apostolicæ in causa reformandæ ecclesiasticæ di-
 sciplinæ anno MCXCIX. celebratum sub Innocentio
 papa III.**

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|---|
| I. <i>Vt episcopi pecuniam ab ordi-</i> | <i>tionem oblationum.</i> |
| <i>mandis non accipiant.</i> | IV. <i>De sigillo confessionis.</i> |
| II. <i>De calibatu clericorum, & ordi-</i> | V. <i>De honore sacerdotibus exhi-</i> |
| <i>nibus conferendis.</i> | <i>bendo.</i> |
| III. <i>De diuisione & administra-</i> | VI. <i>De gradu consanguinitatis in</i> |